

77
 Ecclesiam custos *Theutramus* (*) nomine quondam
 Praefata fuerat, nomine dignus eo.
 Pervigil hic solitus noctuque dieque sacram
 Virginis ante aram saepe rogare Deum,
 Ideo meruit caelesti munere fretus
 Angelicos cives cernere saepe Sacer.
 Nocte quidem quadam, psalmis hymnisque peractis,
 Cum cuperet membra fessa locare thoro,
 Templum namque videt subita clarescere luce
 Ut Sol, & accendi Sole ferena dies.
 Surgit ab usque thoro, causam cognoscere mavult,
 Lumine quo tanto fulgeat alma domus.
 Fortem aquilam similis pennis praetexerat aram;
 Non tamen in terris gignitur haec volucris.
 Rostrum erat ex auro, gemma pretiosior unguis,
 Et color in pennis aethere fufus adest.
 Aff oculis lux ipsa micat. Stupet ipse Sacerdos,
 Nec valet obtutus tendere contra suos.
 Miratur volucrum, pariter miratur & alas,
 Lumina praecipue, corpus & omne simul.
 Tamque diu resider, cum galli garrula terna
 Vox resonat, fratres excitat Officio.
 Inde levans (miranda fides) se sponte fenestra
 Obvia recludit, lavat (72) & ire foras.
 Ipsa abeunte polos, pariter lux ipsa recessit:
 Apparet, civem inde fuisse Dei.
 Tempore nempe alio crevit (73) Didasculus
 idem,
 Mira factis cecinit quae mihi turba fratrum.
 Psalleret ut solito praefata Sedis ad aram,
 Expendens tenebras, corde petendo Deum.
 Discipuli secum, quorum custodia noctis
 Servabant (74) signi tempora pervigiles.
 Ecce repente sonus, tonitrus, ventusque per-
 urguens
 Concutit instanter ardua tecta domus.
 Discipuli cecidere solo, trepidique per aulam
 Corpora prosternunt, mensque timore fugit.
 Inrepidusque Sacer palmis ad sidera panis
 Scire cupit, causam quid sonus ille ferat.
 Aspicit alma aperire domus mox tecta sacrata,
 Intransesque videt tres quoque honore viros.
 Lumine perfusos, vestitos vestibus albis,
 Candidiora nive corpora, lacte caput.
 Tertius in medio Senior namque ipse duobus
 Fultus abit famulis, ingrediturque pie.
 Ut pedibus tenuere solum, mox Virginis aram
 Religione petunt, & prece vota canunt.
 Tramite more hominis nam culmina (75) ce-
 tera poscunt,

(*) Quare Sacerdotem hunc Poeta appellat suo nomine dignum, indicavit mihi doctissimus vir Godefridus Philippi. Nam ex Aventino Teuto est idem atque Rex & ex Leibnitio Theodo significat Virum, Heroem, Principem. Rursus Ram in compositione sanam & gloriam sonat, ut ex *Adelram*, *Adalram* constare potest. Interpretari ergo *Theutramum* liceat *eximium ac celebrem virum*.

(72) Italice nunc si lasciam andar fuori.
 (73) Nuper etiam de Organis dixerat, quae nunquam Francia crevit. Quid ergo sibi vult haec voce Ermoldus? Pro vidit ille usus est voce crevit, deducta nempe a cerno: idque Prisciani auctoritate, apud quem verba Titinnii in Geminis: Simul ut pueras has noctu suspirare crevit: idest vidi. Sed Organa ante Ludovicum Plum Franciam omnino incognita fuisse, jam supra vidimus cum veritate minime sentire.

(74) Potius servabat. Quod sequitur signum, ut supra monui, Campanam significat.
 (75) Haec pro Altaribus accipienda sunt.

(76) Ita in MSto Caesareo. Pro unguine forsitan, seu oleo benedicto ex Lipsanis Sancti Johannis. Haec enim de Reliquiis Sanctorum ibi adscriptis agitur, ut sequentia produunt, proditumque etiam est supra verbis illis, *Pauli*

Ore sonant verba, ordine dantque preces.
 Dexteram partem aedis Pauli nam munere gaudet,
 Fulcitur lava nomine quippe Petri.
 Egregius Doctor hinc, claviger inde colorum;
 Inter utrosque micat Mater opima Dei.
 Michael mediam sibi, seu Crux vindicat aulam,
 Qui stupefacta diu pectora rure (78) tenent.
 Hos quoque Caelicolorum terris petiere precatu,
 Quorum animas cernunt saepius ante Deum.
 Quis nam idiota (77) ferat demens, non cor-
 pora Patrum
 Sanctorum merito rure colenda fore,
 Cum Deus in famulis merito veneretur amaris,
 Quorum nos precibus scandimus alta poli?
 Non Deus est Petrus, sed Petri credo precatu
 Noxam delicti posse carere mei.
 Nam tenuis usque viri properant per templa
 Mariae,
 Semper tecta super discooperta patent.
 Expletis votis remeant ad sidera fursum:
 Suscepere suum tecta reclusa locum.
 Hoc Sacer aspiciens pergit, socioque revisit,
 Qui stupefacta diu pectora rure (78) tenent.
 Surgite, ait focii, nam quae fortuna coegit
 Vos dormire modo, dum vigilare deceat?
 Singulu quatiante valent vix promere verba,
 Ignosque rei se fore nempe ferunt.
 Eja, ait, instant horam tempusque notate:
 Fortem feret nobis haec quoque res aliud.
 Credo (79), fuit vates, Praefulq; dicatus honore,
 Angelicus revehit quem quoque in aethra
 chorus.
 Mira fides rerum! *Bonifacius* (80) almus in illo
 Tempore deceffit, quem Sacer ille videt,
 Ferrea *Frissonum* Christi dum dogmate vellet
 Frangere corda, viam ad caelica Regna dare.
 Morbida heu Medicum mox gens extinxit
 opimum,
 Vulnere quippe suo Regna paravit ei.
 Hic properans Caelos, socio comitante ge-
 mello (81),
 Virgo Maria tua visere templa volet (82).
 Magna tibi virtus caelo, terraque potestas,
 Quae Patrem Mundi progenerasse vales.
 Tu mihi confer opem immerito, conferque
 medelam
 Exilio, cuius limina saepe colo.
 Et si praesentis fugit effera gloria seculi,
 Te duce, Virgo pia caelica Regna petam.
 Hoc tibi, Caesar, opus stolidi crocitate cucuta
 Por-

munere gaudet.

(77) Super vocabulum *idiota* in MSto Codice scriptum est glossema Theoticum *Hermi Kizogener*. Senfus est: quis tam demens est atque indoctus, qui corpora Sanctorum colenda neget?

(78) Pro *bumi*, ni fallor: aut mendum lateret.

(79) Idest: quantum existimo, venerabilis ille vir, quem deferri ad Coelum vidi, est aliquis Sacerdos Episcopali munere jam fulgens, quem Angeli in Paradisum vehunt.

(80) Nempe celeberrimus ille Archiepiscopus Moguntinus, & Germaniae Apostolus ac Martyr, cuius pretiosa mors contigit in Frisia Anno Christi DCCLV. licet alii ad praecedentem DCCLIV. referant. Huius Acta apud Clarissimos Bollandianos ad diem V. Junii prostant. Ac propterea habes, quo tempore Argentorati floruerit *Theutramus* iste, cuius visiones a Poeta nostro descriptas cordatorum hominum iudicio dimissas volo.

(81) Nescio an quempiam huius nominis socium Sancti Bonifacii inuenerit, quem tamen Acta ignorant, an potius fratrem eius uno partu cum eo natum. In supplemento Vitae Sancti huius viri pag. 476. Tom. I. Sanctorum Junii, dicitur post eum frater ejus *Habmunt* *Diaconus* occubuisse.

(82) Pro *voluit*, aut *voluerit*.